Traslado de vn Breue de la Santidad de Paulo III. confirmado por la Santidad de Paulo V. sobre los Diezmos de las yglesias y religiones del Reyno de Granada.



AVLVS Papa Tertius. Charissime in Christo fili noster, & venerabiles fratres, ac dilecti filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis quòd aliàs regno Granatæ, è manibus Infidelium, diuina fauēte clementia, per claræ memoriæ Ferdinandum & Elisabeth, Hispaniarum Reges Catholicos recuperato, felicis recordationis Innocentius Papa VIII. prædecessor noster, ad ingētes labores & expensas per Ferdinandum & Elisabeth Reges præfatos, in huiusmodi regni recuperatione perpesos, & factas (vt parerat) respiciens eisdem Ferdinando & Elisabeth Regibus, quoad viuerent, & deinde eorum successoribus Hispaniarum huiusmodi Regibus pro tempore in perpetuum iuspatronatus, & præsentandi personas idoneas ad ipsius regni metropolitani, & alias Cathedrales, ac collegiatas, necnon parochiales ecclesias, earumq; dignitates, canonicatus & præbendas, ac alia beneficia & hospitalia inibi iam forsan erectas, & erecta, seu erigendas & erigenda reseruauit, & concessit, ac omnes, & singulos fructus, redditus & prouentus decimales in toto regno prædicto pro tempore prouenientes: ea tamen conditione, quòd ipsi Ferdinandus & Elisabeth Reges eisdem fructibus competentem dotem, & portionem, tunc Archiepiscopo Granatensi, & præfati regni Episcopis, ac Cathedraliū, ac Collegiatarum huiusmodi Capitulis, necnon beneficiatis & hospitalibus, ipsorumq; hospitalium, & dictarum ecclesiarum fabricis assignare deberent, & tenerentur, perpetuò donarit. Ipsiq; Ferdinandus & Elisabeth Reges, pro huiusmodi conditionis implemento duabus nonis partibus fructuum huiusmodi pro se ipsis retentis. Reliquas septē nonas partes fructuū eorumdem Archiepiscopo, Episcopo, capitulis, beneficiatis, hospitalibus & fabricis prædictis, inter eos, certo nunc expresso ordine diuidendas reliquerunt, & pro eorum dote assignauerunt. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat,

ex tunc in antea, tàm in Granatensi, quàm in alijs ciuitatibus & oppidis dicti regni, ac eorum districtibus plura monasteria, ac domus religiosorum diuersorum ordinum, tàm virorum, quā mulierum ædificata fuerint, & in dies ędificantur: & inter alia à viginti annis citra vna domus, seu monasterium Carthusiensis ordinis, expensis ordinis del Paular, dicti ordinis Carthusiensis, Segouiensis diœces. Quæ oppulētissima extititpro pè, & extra muros dictæ ciuitatis Granatensis constructa fuerit: ac Prior & conuentus monasterij, siue domus de nouo cōstructæ huiusmodi, ex superabundanti pecunia dicta domus del Paular in ciuitate Granatensi, & eius districto, siue regno huiusmodi complura prædia, hortos, terras, vineas & alias possessiones magni valoris comparauerint, & in dies comparent eaq; tā per proprios, quā alienos colonos cultiuari fecerint, & faciant, ac prætextu certorū priuilegiorū eidē ordini Carthusiensi per diuersos Romanos Pontifices (etiā prędecessores nostros) & præsertim per piæ memo, Ioannē P.P. XXII. etiā prædecessorē nostrū, tunc Priori, & fratribus domus Bonipassus, eiusdem ordinis Carthusien. Cauallicensis diœces. primo cōcessorū: & deinde per recolendæ memor. Pium Papam II. similiter prædecessorē nostrū, ad omnes & singulas alias domus ordinis huiusmodi, vbilibet ędificatas, & ædificandas, extensorum decimas, & primitias fructuū ex prędictis ortis, terris, vineis, & alijs possessionibus prædictis protēpore prouenientiū vobis (vt præmittitur) debitas: & in quarum perceptionis possessione pacifica, vel quasi vos, & prædecessores vestri, à dicti regni recuperatione citra, saluis infrascriptis molestationibus semper fuistis, soluere recusauerint & recusent vos, qui desuper pluribus litibus et molestijs inuoluant, & perturbent, & quod deterius est, vos vr̄a pacifica possessione vel quasi, & dote vobis, fratres Archiepiscopi, & Episcopi, ac filij capitula, beneficiati, rectores, & œconomi præfati (vt præfertur) asignata de facto expoliauerint, & expolient in magnū vestrorū omniū præiudicium, et pernitiosum exemplum. Pro parte vr̄a nobis fuit humiliter supplicatum: vt omnia & singula priuilegia exemptiones, immunitates et indulta Carthusiensibus, & alijs ordinibus, ac monasterijs & domibus, tā virorū, quàm mulierum in præfato regno constructis, & cæteris construendis cōcessa, et concedenda ad viam iuris communis perpetuò reducere, aliàsq; in pręmisis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, nec iuri nec

ratio-

rationi conuenire, quòd Carthusiẽsium, & aliorũ monasterio rum huiusmodi conuentus, & fratres prætextu priuilegiorũ, eis, propter prætensam paupertatem (vt credendum est) concessorum Carolum tot iustissimis bellis aduersus Infideles prope semper occupato, prælatos gregis Dominici directioni satagentes capitula, et ecclesiarum ministros, ecclesiarum earũdem continuo seruitio, & Dei laudibus intentos, & hospitalia ac pauperum subuentionẽ prouidi instituta sua dote, et fructibus, eis (vt præfertur) debitis, & illorum possessione audeant expoliare, dictasq; decimas sibi denegare, et desuper eos litibus inquietare conẽtur, donationis et assignationis prædictarũ, ac desuper confectarũ quarumcunq; literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, necnon omnium et singulorum priuilegiorum, indultorum & literarum Apostolicarum prædictis, et quibusuis alijs domibus, et monasterijs Carthusiensis, et cuiusuis alterius ordinis huiusmodi, illorumq; conuentibus et fratribus, prædictos et alios quosuis Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac forsan nos & Sedem Apostolicã super pręmissis (vt pręfertur) vel alios quomodolibet concessorũ, confirmatorum, et innouatorum, ac extensorum tenores, necnon quarumcunq; causarum super præmissis, vel eorũ aliquo, inter vos, seu aliquem vestrũ, et domus fieri monasteria huiusmodi, vel coram aliqua Romana Curia, vel extra eã, in quacunq; instantia coram quibusuis iudicibus ordinarijs, vel delegatis, etiam causarũ palatij Apostolici Auditoribus, seu sanctæ Romanę Ecclesię Cardinalibus, vel aliàs, vbilibet in decisarum pendentium status & merita, pro plenè & sufficiẽter expressis habentes: causamq; & causis ipsas ad nos aduocãtes, ac litem, ac lites huiusmodi penitus extinguentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula priuilegia, exẽptiones, immunitates, & indulta, Carthusiensibus, & alijs ordinibus, ac domibus, & monasterijs, tàm virorum, quã mulierũ in dicto regno constructis, & de cætero construendis per præfatos, et alios quoscunq; Romanos Pontifices pręde cessores nostros, ac nos, & dictã Sedem quomodolibet concessa, et concedenda, quoad ea, dumtaxat, per quæ vos in perceptione libera fructuum decimalium, & primitiarum vobis de iure cõmuni debitarum impedimini & molestamini, aut impediri videmini ad viam iuris communis, autoritate Apostolica, tenore præsentiũ penitus & omninò, ac perpetuò reducimus, reuocamus, restringimus, & limitamus: eaq; omnia et singula de

cętero

cætero perpetuis futuris temporibus monasterijs,& domibus ac ordinibus præfatis,illorũq; superioribus conuentibus, fratribus,et personis ad hoc,vt illorum vigore, ac solutioni decimarum,et primitiarum,de iure communi debitarũ eximi, excusari,vel quoquo modo liberare valeant,nullatenus suffragari:quinimò monasteria,domus et ordines,eorumq; prælatos,conuentus,fratres & personas ad decimarum huiusmodi solutionem,iuxta dispositionẽ & formam, ac tenorẽ iuris cõmunis huiusmodi teneri,& efficaciter obligata, ac obligatos existere:& ad id per censuras et pœnas ecclesiasticas,ac etiam pecuniarias,& alia opportuna iuris remedia, prædictarum ecclesiarum Cathedralium prælatos cogi & compelli posse, et debere decernimus, necnon ijsdem monasterijs & domibus, eorumque conuentibus, superioribus, & fratribus, super causis & litibus prædictis,& ab eis, vel earum aliqua dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuum silentiũ imponimus, ac monasteria & domus, necnon superiores, conuẽtus & fratres huiusmodi, vllo vnquam tempore, & enormis læsionis, aut aliquo quouis prætextu, desuper litigare, seu reclamare, vel aduersus præsentes in integrum, seu aliam restitutionem in totum, vel in partem petere, vel retinere non posse, ac præsentes literas, et in eis contenta quæcunq. de subreptionis aut obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu, quouis prætextu, occasione vel causa notari, vel impugnari, aut in aliquo annullari, alterari, vel reduci, seu annullata alterata, aut reducta censeri nullatenus posse, sed valida & efficax existere, suosq; plenarios effectus in totum sortiri debere, illisque nullatenus derogari posse, etsi illis derogetur, quoties id fiet, toties ea in pristinum statum restituta, reposita, & plenarie redintegrata esse, et cẽseri, siq; in præmissis omnibus et singulis, per quoscunque iudices & commissarios, quauis autoritate fungentes, etiam Auditores præfatos, sublata eis, et eorum cuilibet, quauis authoritate iudicandi, & interpretandi facultate et autoritate, iudicari & diffiniri debere, ac quidquid secus super ijs à quoquam, quauis autoritate, sciẽter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et innane similiter decernimus. Quo circa dilectis filijs Hispalensium, Cordubẽsiũ, & Gienens. officialibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel aliũ, seu alios præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi, inuio

labiliter

labiliter obseruari, cōtradictores quoslibet & rebelles, per cēsuras & pœnas ecclesiasticas, quacunque appellatione postposita compescendo, & legitimis super his habēdis, seruatis processibus, censuras et pœnas prædictas, etiā iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis, nos enim officialibus præfatis, et eorum cuilibet, conuentus & fratres prædictos, ac alios quoscunq; etiam per edictū publicū: constito eis summariè, & extraiudicialiter de non tuto accessu desuper citandi: necnon eis, & quibusuis alijs personis, etiam sub excommunicationis, et alijs sentētijs ac censuris, et pœnis ecclesiasticis, etiam pecuniarijs eorū arbitrio imponendis, applicandis & exequendis: ne vos aut aliquem vestrum super præmissis, vel eorum aliquo, quouis modo molestare, perturbare, seu impedire præsumant, etiā simili edicto inhibendi, et alia in pręmissis necessaria, seu quomodolibet opportunè faciendi & exequendi plenam & liberam, autoritate et tenore prædictis facultatē concedimus: non obstātibus pię memor: Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris etiā nr̄i de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dūmodo vltra tres dietas aliquis autoritate præsentiū non trahatur, ac quibusuis alijs cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis nec non ordinū, monasteriorum, & domorum huiusmodi, etiam iuramento cōfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis etiam maremagnum, & alias nūcupatis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis, clausulis, ac irritātibus, & alijs decretis quomodolibet per præfatos, vel quosuis alios Romanos Pontifices, similiter prædecessores nostros, ac nos, & sedem prædictam, etiam ad Imperatoris, Regum, Ducum, seu aliorū principum, aut nullius instantiam, etiam motu proprio concessis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & si pro illorū sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expræssa, & indiuidua ac de verbo ad verbum nō autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quæuis alia expræssio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbū insererentur præsentibus pro sufficienter expræssis habentis illis alias in suo robore per mansuris hac vice dumtaxat horum seriè specialiter, & expræssæ derogamus, contrarijs

rijs quibuſcunque, aut ſi eisdem conuentibus & fratribus, ac alijs prædictis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsit per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expræſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datis Romæ apud S. Marcum, ſub annulo piſcatoris die vigeſimoſecundo Iulij milleſimo quingẽteſimo quadrageſimoprimo Pontificatus noſtri anno ſeptimo. I. de Torres.

Cum autem ſicut chariſsimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, tam ſuo, quam præſulum, capitulorũ, rectorum, beneficiatorũ, adminiſtratorũ, & æconomorum præteritorum nominibus per dilectum filium Ioannem de Matute Eccleſiæ Granatẽſis canonicũ nobis nuper exponi fecit, Licet ipſi Philippus Rex, ac Pręſules, ac alij quibus decimę & primitiæ fructuũ huiuſmodi in dicto Regno, tam ex priuilegio & conceſsione per piæ mem. Innocen. Pap. VIII. & prædictũ Paul. & quoſcunque alios Romanos Pontifices & prædeceſſores noſtros factis & emanatis quam alias reſpicere debentur in poſſeſsione pacifica, ſeu quaſi decimas & huiuſmodi primitias percipiendi exiſtant: nihilominus nonnulli prædictorũ, ſeu aliorum monaſteriorum domorum, & locorum ſuperiores & Religioſi, vel alij quocunque nomine nuncupati, ſeu eorum aliqui rurſus ſuæ exemptionis priuilegia & indulta (ſic ad viam iuris per eaſdem præinſertas literas reducta) in vſum reuocare, ſeq; illorum prętextu, à ſolutione, et præſtatione decimarum, et primitiarum per eos deuitare, ſubtrahere & excuſare, ac alias Philippũ Regẽ & alios, contra earundẽ literarum tenorẽ & continentiã perturbare molliantur, & perturbent. Et propterea dictus Philippus Rex nominibus prædictis nobis humiliter ſupplicari fecerit, vt eiſdẽ præinſertis literis pro illarum firmiori ſubſtantia & obſeruatione approbationis noſtræ robur adijcere, ac alias in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pro Paſtoralis officij nobis incumbẽtis munere, ac æquitatis et iuſtitiæ debito, Philippi Regis, ac Præſulũ capitulorum, rectorũ, beneficiatorũ, adminiſtratorũ, et œconomorũ prædictorũ indemnitati conſulere volentes, necnon donationis, et aſsignationis decimarũ et primitiarũ, ac aſſertorũ priuilegiorũ, exemptionum, immunitatũ, et indultorum huiuſmodi, tenores præſentibus, pro ſufficienter expreſsis habentes,

bentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas literas, & per eas à dicto Paulo prædecessore factas priuilegiorum exemptionũ, immunitatũ & indultorũ huiusmodi reductionẽ, ad viam iuris, ac reuocationẽ, restrictionẽ & limitationẽ, cum omnibus & singulis clausulis, cautelis, decretis, & irritantibus derogationibus, & facultatibus in eisdẽ præinsertis literis contentis & appositis, Apostolica autoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, cõfirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesq; & singulos, tã iuris, quã facti, ac solennitatũ quantumuis substantialium defectus, si qui interuenerint in eisdẽ, etsi tales sint, vel fuerint, qui sub generali sermone non veniant, sed speciali nota & expresione indigeant, supplemus. Quo circa dilectis filijs nostri & Sedis prędictæ in illis partibus Nuntio, ac Toletano, & Giennensi officialibus per præsentes cõmittimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorũ, per se, vel aliũ, seu alios, tã prẹinsertas, quã præsentes literas, & in eis pariter contenta quæcunq; vbi & quando opus fuerit, faciãt autoritate nostra ad quos spectat, & pro tẽpore spectabit inuiolabiliter obseruari non permittentes, Philippũ, & pro tẽpore Hispaniarũ Regẽ, ac Præsules, capitula, rectores, beneficiatos, administratores, & œconomos prædictos, vel eorum quẽpiã desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari cõtradictores quoslibet, per censuras, et ecclesiasticas pœnas, aliaq. opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras et pœnas ipsas, & iteratis vicibus aggrauãdo: inuocato etad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus prẹmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non monasteriorũ, domorũ, locorũ & ordinum huiusmodi iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, exemptionibus, et literis Apostolicis, illis, eorumq; superioribus, conuentibus & personis, sub quibuscunq; tenoribus & formis, et cum quibusuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficacioribus & efficacissimis, ac insolitis clausulis, et decretis etiã irritantibus, per quoscunque Romanos Põtifices prædecessores nostros, ac nos, dictãq; Sedem etiã motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiã iteratis & multiplicatis vicibus, quomodolibet cõ

cess-

cesis, approbatis, & innouatis: necnō omnibus illis, qui dictus Paulus prædecessor in suis literis præinsertis voluit non obsta re. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione, aliàs de illis, eorumq; totis tenoribus specialis specifica, expressa & indiuidua mentio, seu quæuis alia expres sio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil peni tus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserta foret, præ sentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dūtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Cæterùm, quia difficile esset, presentes literas ad singula quæq; loca, vbi opus fuerit transferri volumus, quòd illarū transumptis, seu exē plis, etiā impressis, manu alicuius publici notarij subscriptis, & persone in ecclesiastica dignitate constitutæ sigillo munitis eadē prorsus fides in iudicio, vel extra, adhibeatur, quæ præ sentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ. Datum Romæ, apud sanctū Petrū, sub annulo Piscatoris, die decima quinta Nouembris, millesimo sexcentesimo nono. Pontifica tus nostri anno quinto.